



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi

Sandaeus, Maximilianus

Antverpiae, 1647

60. Est Passionis Dominicæ perpetuus Meditator, Joannes Rebellus,
Lusitanus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55449)

IMITATRIX CRUCIFIXI. IOI

X.

AMATOR CRUCIFIXI

*Passionis Dominicæ perpetuus
Meditator.*

IOANNES REBELLVS, Lusitanus in 60.
Societate ad omnem se virtutum di- IOANNES
sciplinam mirum in modum exercuit, REBELLVS
oratione excelluit, præstitit mortifica- Lusitanus.
tione, caritate erga proximos fuit ad-
mirabili. Itaque totos ipsos penè XLIV.
annos, quibus in Religione vixit, au-
diendis confessionibus, concione com-
movendis populis ad pietatem, Con-
gregationibus instituendis, sanctè uti-
literque traduxit.

Animarum, quæ in Purgatorio sunt,
& culparum suarum pœnas exsolvunt
assiduus atque pius auxiliator fuit: DO-
MINICÆ PASSIONIS PERPETVVS ME-
DITATOR: Beatissimæ Virginis MARIÆ
addictissimus servus, in cuius patroci-
nio adquiescebat, in eaque colenda,
laudibusque prædicandis multus erat.
Quo circa populos maximè hortabatur,
ut piis precibus, jejuniis, eleemosynis-
que defunctorum in Christo animas à
Purgatorii acerbissimis pœnis libera-
rent; & CHRISTI SALVATORIS IN
CRUCE AFFIXI memoriam perpetuò re-
tinerent;

tinerent; & ad Sacratissimam Virginem tanquam ad PORTVM, sive aspirante, sive reflante fortunâ confugerent.

Et ubicumque locorum poterat, sodalitates piorum hominum ad hæc TRIA præstanda instituit, ac legibus informavit. Itaque ejus operâ, pietas, orationis studium, & in CHRISTVM CRUCIFIXVM, ac ejus Matrem sanctissimam devotio est mirificè propagata.

Moriturus quantus esset CRUCIFIXI Amator, & quantopere ejus præsidio niteretur, ostendit. Nam cum illi crus fœdè intumescens perstringendum esset ære candenti, cæsimque ac punctim lancinandum, ne herpetis vitium in reliquum corpus proserperet, dari sibi postulavit in manus CHRISTI in CRUCE MORIENTIS SIMVLACRVM, ab illius amplexu doloris solatia petiturus. Itaque CRUCIFIXO suo affixus & inhærens ferri, flammæque cruciamenta fortiter toleravit. Sic exercitum probatumque mors sustulit, atque ad beatam vitam, ut speramus transtulit. Eboræ XIV. Julii, Anni M.DC.II. ætatis IX.

Lit. Lusit. Eleg. Vit. B. S.